

tempestate hæc ageretur: Exitisse adhuc castelli menia: magna ex par-
 te collapsa. Porro quum prima se se portui offerat: curæ esse oportuit:
 illam in potestate retinere: tum ut portui dominarentur: tum ut quæ
 ingrederentur naues haberent quo in tutum se se reciperent: præsertim
 quum fuga a piratis euasissent. Quibus semper Adriaticum mare fu-
 it infestum. Mores siquidem gentium ex natura rerum commodisq;
 hominum locorumq; gigni necesse est. Siue igitur tum aliqua erat mu-
 nitio: siue deinde facta: & ob eam castellum sit appellatū: relinquetur
 in medio. Castellum autē quodcunq; fuit uetustate deinde collapsum
 Eam portus munitionem minores etiā uidemus restituisse. Qui duo
 castella crexerunt in ostio portus dextra Leuaq; Turrim uero Phareā
 adhuc stantem uidit ætas nostra antiquissimam & altitudinis eximia.
 Qua certius nauæ nullum habuere signum portum ingredi tendētes
 Eam uetustate collabantem Mapheus Gerardus Quartus Venetiārū
 patriarcha nunc reficit. Construitur prima in Oliuolo: Aedes sanctis
 Martyribus sergio & Baccho. Meduacus amnis urbem Patauiū præ-
 terfluens & in hæc stagna delabens eum de quo dicimus portum facit
 Nunc sancti Nicolai appellatur: Ob eadem & eius sancti reliquias: cō-
 dito iuxta portum monasterio: locatas. Aberat tunc ora paludium a
 patauiō circiter tredecim millia passuum. Portus hostium ab conti-
 nentis ora ferme totidem: Vt ex liuii decimo libro aperte perspicī pōt:
 Dum describit Cleonymi lacedæmonii descensionē in Patauios. Te-
 stimonium præterea recentius habemus. Nā uicus qui nunc corrupto
 nomīe Auriacus appellatur dicebatur a maioribus ora lacus: q; ad eū
 usq; locum patrum memoria paludes stagnarent. Primarium ueneti
 magistratum trybunos appellauere. Qui in ciuilibus capitalibusq;
 causis ius diceret. Placuit nomen populare nec insolens nec humilius.
 Annuus erat & una quæq; sibi insula oppidum ue littoreum duos tri-
 bunos creabat. Ad rem uero publicam si grauius aliquid accideret cō-
 sultādā: indicebantur conuentus omnium insularum & littorum.
 Atq; ad eam rem quot annis alijs atq; alijs deligebatur locus ut om-
 nium populorum dignitas seruaretur cum pace concordiaq;. Quæ
 consuetudo tantisper durauit & continenter seruata est Donec perma-
 gnam rerum necessitatem: uarietatemq; fortunæ ad molem hanc impe-
 rii constituendam Venetiæ urbes & oppida peruenerunt. Quod cum
 ita sit: cum propter ea mala: quæ deinceps per multos annos facta
 sunt: Ciuitas Venetiārum fuerit constituta: Non erit præter in-
 tentionem nostram qui originem eius tradere proposuimus: ea com-
 memorare quæ ad nostri continuationem stili: Hoc loco nobis
 etiam satis opportune se se offerunt exponenda: Vbi quæ a Venetis

Tribuni primi uenetiæ ueloci
 alij dicunt anno. 541.